

4 DE PARTU VIRG.

Mox prior hæc. Oculis salve lux debita nostris,
 Iam pridem notam cælo jubar, optima Virgo:
 Cui sese tot dona, tot explicuere merenti
 Divitiæ Superùm: quicquid restique, probique
 Aeterna de mente fuit: purissima quicquid
 Ad terras summo veniens sapientia cælo
 Fert secum, & plenis exundans gratia visis.
 Te Genitor stabili firmam sibi lege sacra vit,
 Perpetuos Genitor cursus qui dirigit astris:
 Mansuramque tuo fixit sub pectore sedem.
 Itcirò cætus inter veneranda pudicos
 Vna es, quam latis cæli in regionibus olim
 Tot Divum celebrent voces. proh gaudia terris
 Quanta dabist quantis hominum succurrere votis
 Incipies! stupuit confestim exterrita Virgo:
 Demisitque oculos, totosque expalluit artus
 Non secus, ac, conchis si quando intenta legendis
 Seu Miconæ parva, scopulis seu fortè Scriphi
 Nuda pedem virgo, lætæ nova gloria matris
 Veliferam advertit vicina ad littora puppim
 Adventare, timet: nec jam subducere vestem
 Audet, nec tuto ad socias se reddere cursu;
 Sed trepidans flet, obtutuque immobilis hæret;
 Illa Arabum merces, & fortunata Canopi
 Dona ferens, nullis bellum mortalibus infert:
 Sed pelago innocuis circumnitet armamentis,

Tum rutilus cæli alipoteus, cui lactea fauci
 Copiam, divinique fluunt è pectore rores
 Ambrosiæ, quibus ille acres mulcere procellas
 Possit, & iratos pelago depellere ventos.

Exue, Dia, metus animo, paritura verendum
 Cælitibus Numen, sperataque gaudia terris,
 Aeternamque datura venis per secula pacem.
 Hæc ego siderea missus tibi nuntius arce,
 Sub limis celeres venit quem penna per auras,
 Vaticinor, non insidias, non neçtere fraudes
 Edo: tu: longè à nostris fraus exulat oris.
 Quippe tui magnum magna incrementa per orbem
 Ipsa olim partus, Virgo, sobolisque beatæ
 Aspicias, vincet proarbo, proaritaque longo